

Dn. Johanni Jordano, Affini, de Societate  
Paternâ disputanti.

**C**ur ea, qua Costa Mas, vel que Costa Marito,  
Vel Domino, præstat Debita Verna suo,  
Non; sed quam socios constringant Vincla Parentes  
Et Natos, placuit differuisse Tibi?  
Thura litas Themidi, ac ipsus Tibi ritè ministras;  
Hinc licuit tantùm commemorâsse Patris.

Vratislav. deprop.

*Andreas Asieg.*

**Q**uæ Jura Patres; Quisvè nexus Filios  
Parentibus constringat, & quid foederis  
Socii invicem coarctet illos mutuò;  
Vestri Lycei Patribus docta Thesi,  
Jordane, Fama est velle Te proponere.  
Quibus Tuis applaudimus Conatibus  
Precorqve pergas sedulus niti hâc viâ;  
Ut quod Parentes pollicentur & Soror,  
Adimpleatur Dotibus Tui Ingeni.

*Hic amici contestandi Affectus ergò  
gratulabatur Præstantissimo  
Dno Respondenti*

*Fridericus Roth, Juris  
Practici.*

F I N I



I. N. 7. X  
APHORISMI THEOLOGICI,

Ex  
SCHOLA PIETATIS GERHAR-  
DIANA,

De  
CAUSIS IMPELLENTI-  
BUS AD PIETATEM,

Decerpti,

Quorum

Congeriem I.

EX PRÆFATIONE ET DE ATTRIBUTIS  
DEI COMMUNITER, AC IN SPECIE

DE BONITATE,

PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & Prof. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

In Auditorio Maximo

publico solennique examini subjicit

RESPONDENS

LEONHARDUS GEBAUERUS, Silesius.

Hab. d. XXII. Junii MDCCII.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,

ATHEN. TYPOGR.

V I R O,  
*Pra-nobilissimo, Consultissimo atq. Doctissimo*  
DN. DANIELI SCHELGUIGIO,  
Summi, quod in Borussia est, Tribunalis Aulæque, Judici-  
Advocato Regio,

*Domino Patrono, Fantori & Avunculo, omni animi  
obsequio colendo & devenerando,*

Pagellas has Theologicas in debitæ observantiæ argumentum  
cum ardentissimo perennitatis, prosperitatis & inco-  
lunitatis voto consecrat

Cliens submissus

LEONH. GEBAUERUS.



426401

PRÆFATIO.

I.

IN dicto Paulino 1. Tim. IV. 8. traditur (1) Seria ad stu- Resp LE  
dium Pietatis exhortatio: *Exerce te ipsum ad Pietatem.* (2) ONHARDC  
Exhortationis pondus & ratio: *Nam corporalis exercitatio* GEBAUER-  
*ad modicum utilis est: Pietas autem ad omnia utilis est, promissio-* RO, Sil.  
*nem habens vitæ, quæ nunc est & futura.*

II. In Exhortatione perpendendum, quid *Pietatis* nomine  
veniat, & quomodò nos *exerceamus* ad Pietatem.

III. *Vox Pietatis* strictè ac specialiter notat obedientiam  
soli primæ tabulæ legis præstitam, quando ei expressè adiun-  
guntur, quæ ad secundam tabulam, aliis vocibus indicatam, per-  
tinent, 1. Tim. II. 2. VI. 11. Tit. II. 12. [Quo in sensu Græ-  
cis dicitur Θεοσεβεία. 1. Tim. II. 2. & qui eandem exercet  
θεοσεβής Joh. IX. 31.] Latè autem ac generaliter significat obe-  
dientiam utrique tabulæ, adeoque toti legi præstitam; id quod  
in illis Scripturæ locis, ubi vox Pietatis sola ponitur, neque ad-  
jecta voce restringitur & coarctatur, obtinet. Ex. gr. Tit. I. 1.

IV. Ita Synonymum Pietatis est Christiana religio, quæ 1.  
Tim. VI. 3. describitur, *doctrina quæ secundum Pietatem est*  
[Augustinus Epist. 51. *Vera Pietas est verax Dei cultus, unde  
omnia rectè vivendi, duci oportet officia.* Item Ludov. Vives ad  
Lib. 10. August. de Civitate Dei: *Religio, & Pietas pro iisdem  
capiuntur.* Nec multò aliter Paulinus Nolanus Epist. 39. ad Au-  
sonium, quæ inter poemata ejus 10. est, Pietatem & Christia-  
nismum pro iisdem habet, canens:

*Pietas abesse Christiano qui potest?  
Namq. argumentum mutuum est  
Pietatis, esse Christianum: & impij,  
Non esse Christo subditum.]*

A

V. Ju-

V. Juxta hanc vocis acceptionem, exercemus nos ad Pietatem (1) Per agnitionem peccatorum, & contritionem super ea (2) per fidem, & (3) per fructus fidei ac poenitentiae. [Sciendum verò, quòd cum ad Pietatem contritio, quæ prima poenitentiae pars est, refertur, hæc de poenitentia *stantium* intelligi debeant; non *lapsorum*, aut *relapsorum* v. gr. Caini, Judæ Ischariothæ &c. utpote quorum contritio, antequam fides accedebat, pro exercitio Pietatis reputari nondum merebatur, Vid. § 7.]

VI. Fructus fidei ac poenitentiae vocantur *bona opera* Col. I. 10 Tit. II. 14. *per quæ fides ostenditur.* Jac. II. 18. & *sine quibus fides est mortua*, in semet ipsa ibid. v. 17. *per quæ etiam Pietatem profitemur.* I. Tim. II. 10.

VII. Opera verè bona Deoq; placentia, ex fide provenire oportet. Rom. XIV. 23. Hebr. XI. 6. quâ prius persona reconcilianda est, quàm opera personæ, Deo placeant, Gen. IV. 4. 5. Ut proinde fides bonorum operum radix, fundamentum & quasi anima sit, sine quâ omnia opera, qualiacunque etiam videantur, pro malis reputanda sunt: Quandoquidem homo, & quicquid ab homine proficiscitur, per fidem vivit. Hab. II. 4. coll. Rom. I. 17. Gal. III. 11. add. II. 20.

VIII. Non sufficit unum aliquod, aut alterum opus bonum edere; sed plus ultrâ semper tendendum. II. Pet. I. 5. 6. 7. 8. *ut in bonis operibus divites fiamus.* I. Tim. VI. 18. Usque adeo studium Pietatis debet esse spontaneum & quotidianum. [In Christianismo enim & Pietate non progredi, est regredi.]

IX. Qui se eo, quo diximus, modo ad Pietatem exercet, stylo biblico dicitur *ambulare cum Deo.* Gen. V. 22. *custodire mandata Domini, & incedere in viis ejus* Deut. VIII. 8. *divertere à malo & facere bonum.* Ps. XXXIV. 15. *custodire sermones Dei* Ps. CXIX. 9. *Deo servire in sanctitate & justitiâ,* Luc. I. 75. *omni conscientia bonâ conversari ante Deum.* Act. XXIII. 1. *studere ut sine offendiculo, conscientia habeatur, ad Deum & ho-*  
mines

*mines semper* Act. XXIV. 16. *voluntatem Dei facere.* I. Joh. II. 17. *mundare se ab omni inquinamento carnis & spiritus, ac perficere sanctificationem in timore Dei* II. Cor. VII. 1.

X. Ab Exhortatione progredimur ad ejus Rationem ab utili, quod homines potissimum respiciunt, depromptam. Legimus enim, quod *Pietas ad omnia utilis sit.* Quo ipso refutantur, qui se præcepta Dei frustra observare autumant Malach. III. 14. 15. 16. 17. 18. [Ps. LXXIII. 2. seq. 13. seq. 23. seq. Job. XXI. 15. seq.]

XI. Fundamentum, cui ratio isthæc innititur, est *promissio divina vita qua nunc est & futura.* Promissio ista ejusdemque impletio non solum ex misericordiâ, sed etiam ex justitiâ Dei fluit. Hebr. VI. 10. [videlicet non ex justitiâ promeritæ compensationis; sed nudæ veritatis: Sic enim Deus ordinavit, ut pii mercedem ex gratiâ consequantur; cui ordinationi, ut satisfiat, justitia requirit I. Cor. III. 8. 14. II. Cor. V. 10. Eph. VI. 8. Col. III. 24.]

XII. A Deo nequidem vitam, quæ nunc est, & bona temporalia promeremur. Deut. IX. 4. 5. 6. multò minùs vitam futuram, & bona æterna. Rom. IIX. 18. Unde vita æterna (*χρῆσμα*) donum gratia vocatur, Rom. VI. 23.

XIII. quæcunque à nobis in studio pietatis fiunt, ad ea ex jure creationis, conservationis, & redemptionis obligamur: Neque illa perfectè à nobis in hac vitâ unquam fiunt, prouti fieri deberent; sed propter imperfectionem operis, *servi inutiles, etiam cum omnia fecerimus,* manemus Luc. XVII. 10. Facessat ergò opinio meriti, semperque memori mente custodiatur illud Augustini Enarrat. Ps. 109 *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Promisit Deus hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem.*

Quic-

*Quicquid promisit, indignis promisit; ut non quasi operibus merces promitteretur; sed gratia à nomine suo gratis daretur.*

XIV, Quod specialiter ad vitam qua nunc est, attinet, promissio ei facta intelligitur, cum exceptione crucis & salutis: impletur illa; sed cum persecutionibus Marc. X. 29, 30. 2. Tim. III. 12. aliisque tentationibus Sir. II. 1, Tob. XII. 13. sine quibus vix ad futuram vitam servaremur. Ps. CXIX. 71.

XV. Ut quàm utilis sit Pietas, tantò evidentius constaret, Apostolus quæ de eà dixit, illustrat, per antithesin, seu collationem imparium, scribens: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Quam verò exercitationem vocet corporalem, ex initialibus versiculis, præsertim v. 3. hujusdem capituli IV. patet, nimirum abstinentiam à delicatis cibis, ipsumque jejuni-um, corporis in officio continendi gratiâ susceptum. Exercitatio ejusmodi est utilis; sed duntaxat ad modicum: ut proinde sub Pietatis ad omnia utilis nomine, haudquaquam contineatur, neq; sub opinione necessitatis, cultus aut meriti, cuiquam imponi debeat. Conf. Rom. XIV. 3. 6. 17. 18. I. Cor. II. 8. Hebr. XIII. 9. [Ad exercitationem corporalem referimus quoque abstinentiam à somno, conversatione cum hominibus, multiloquio, joco, usu conjugalis operis. I. Cor. VII. 5. &c. de quo Autor Commentariorum in Epistolas Pauli, Ambrosio adscriptorum, h. l. inquit: *Corporis exercitium nihil aliud, quàm frena carnis sunt, &c. item Anselmus h. l. Corporalis exercitatio est in jejuniis, & vigiliis, ac labore manuum, atq; multimodâ corporis afflictione &c. Illa & in Hypocritis ac Phariseis invenitur: Pietas autem devoti ac benevoli cordis, non nisi in electis reperitur.*]

LIBER

LIBER I.  
DE CAUSIS IMPELLENTIBUS  
AD PIETATEM.

CAUSÆ impellentes ad Pietatem innumerabiles sunt: Præcipue ex duabus quasi scaturiginibus profluunt, nempe ex consideratione Dei & Creaturarum. [Cum itaque initium omnis operis ac sermonis Deum esse rectè voluerit Synelius Ep. 13. nos etiam ab eo incipiemus. Ideo enim Deus semetipsum nobis revelavit, ut notanter scripserit Gregorius M. lib. 1. super Ezech. Homil. 9. *Si virtutes suas omnipotens Deus taceret, eum nullus agnosceret, nullus amaret: si nullus amaret, nullus ad vitam rediret.*]

## PARS PRIMA DE DEO

## SECTIO I.

## DE ATTRIBUTIS DEI COMMUNITER.

## I.

ATTRIBUTA Dei dispescuntur in prima & orta. Ex primis attributis alia sunt absoluta, interna & ἀκωνόντα, quæ intra ipsam divinitatem terminantur; alia autem externa, relativa & κοινώνητά, quorum operatio ad creaturas se diffundit.

II. Attributiona prima & quidem absoluta sunt, Spiritualitas, Invisibilitas, Simplicitas, Æternitas, Immutabilitas, Infinitas, Immenfitas, [Independentia & Unitas]: Quorum consideratio sequentes causas ad Pietatem impellentes suggerit.

III. Deus est spiritus, corporis expers Joh. IV. 24. nobisque animam spiritualis & incorporeæ essentiaæ dedit, Gen. II. 7. Psal. XXXI. 6. CXLVI. 4. Eccl. III. 21. Studendum igitur, ut in spiritu ei serviamus. Joh. IV. 24. & unus cum eo spiritus sumus. I. Cor. VI. 17. [quo spectat illud Catonis:

A 3

Si

*Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,  
Hic tibi præcipue purâ sit mente colendus.]*

IV. Deus est *invisibilis* 1. Tim. I. 17. Quapropter sanctâ obedientia ei gratos nos exhibeamus, qui *ex luce invisibili, quam inhabitat.* 1. Tim. VI. 16. prodiit, nobisque hominibus, non solum in mundi creatione, Rom. I. 20. sed etiam in Filii missione Joh. I. 18 & in verbi prædicatione se pacificavit, *consilium* de salute nostrâ manifestavit Act. XX. 27. *In hac luce verbi videmus lucem* divinæ notitiæ, imo & divinæ gratiæ ac æternæ beatitudinis Ps. XXXVI. 10. [Sic & propter Deum invisibilem, visibilia negligamus, & invisibilia sectemur. 2. Cor. IV. 18.]

V. Deus est simplicissimus, non solum in essentiâ; verum & in voluntate ac operibus. Jac. I. 5. Idcirco ab omni hypocrisi nobis caveamus, simplicitatem in cunctis, etiam quæ prudenter geruntur, spectantes. Matth. X. 16. II. Cor. I. 12. Ps. XXV. 21. [Observandum tamen Dionysii Carthusiani monitum, quod simplicitas Christianorum debeat esse *columbina*, non *asinina*: *simplices simus ad malum, sapientes verò ad bonum* Rom. XVI. 19.]

VI. Deus est *aternus* Gen. XXI. 33. Esa. LVII. 15. Creaturæ autem omnes sunt caducæ. Propterea fide, charitate, & desiderijs æterno huic bono ad hæreamus, terrenisque & caducis, quando opus est, libenter renunciemus; siquidem anima nostra ad æternam beatitudinem creata est, quam nullibi nisi apud Deum æternum & in illo reperimus. Ps. LXXIII. 25.

VII. Deus est immutabilis [Jac. I. 17 Prov. XIX 21] Hinc cor nostrum jure meritoque à mutabilibus rebus ad immutabile bonum convertimus, voluntatemque nostram voluntati ejus immutabili, internâ obedientiâ, subjicimus.

VIII. Deus est immortalis [1. Tim. VI. 16.] Quare per fidem, & charitatem ei ad hærendum, ut per eum & in eo beatæ immortalitatis participes fiamus, & in ipso quietem animæ unicè

unicè quæramus & inveniamus [Matth. XI. 29. Mundum interiturum amans, cum mundo ipse interibit 1. Joh. II. 15. 16. 17.]

IX. Deus est infinitus [Job. XI. 8. 9. Esa. XL. 15.] In oppositione igitur ad eum finitudinem nostram, quod in collatione cum illo pro nihilo reputemur, agnoscamus, Psal. XXXIX. 7. Esa. XL. 17. ut humili corde ei subjiciamur, certissimi, de infinitâ mercede, quam ab eo, per & propter Christum exspectamus.

X. Deus est immensus ac omnipræsens. Jer. XXIII. 23 24. Ergo coram oculis ejusdem, abditissima quæque spectantibus, piè vivendum & à peccatis abstinendum. Sir. XXIII. 28. 29. 30. [Paschas. de Corp. & Sanguine Domini. c. 21. *Velim sic agas, ut Deum præsentem, semper & ubiq; intelligas, & sic coram ipso verferis, ut in nullo Majestatis ejus oculos offendas.*]

[XI. Deus est independens, & à nullo alio proveniens Es. XLI. 4. XLIV. 6. XLIX. 12 Apoc. I 8. Cum verò nos ab eo dependeamus, memores primæ originis, imitemur Deum, quoadusq; se imirandum in verbo suo proposuit Eph. V. 1.]

[XII. Deus est unus & *unicus*, Deut. VI. 4. Es. XLV. 5. 6. Proinde solus ille cultu religioso, nec quicquam aliud præter eum, majori aut æquali cultu afficiendum est, Matth. VI. 24. Impiè scilicet præter Deum per fiduciam animi coluntur divitiæ. Job. XXXI. 24. potentes hujus mundi. Jer. XVII. 5. 6. dona à Deo nobis collata. Hab. I. 16. &c.]

XIII. Attributa prima & quidem relativa sunt, Omnipotentia, summa Bonitas, Gratia, Misericordia, Justitia, Omniscentia, summa Sapientia, Libertas & Veracitas.

XIV. Deus est omnipotens Gen. XVII. 1. [Jer. XXXII. 17. Luc. I. 37. Ei nihil est impossibile, nisi quod non vulr, juxta Tertullianum] Proinde meritò eum timemus Jer. V. 22. [meritò sub potenti ejus manu nos humiliamus. I. Pet. V. 6.]

XV. Deus est summè bonus, atque ut ita nobis loqui liceat, omni bonus, imo unicum summum bonum. Ei itaque per charitatem, quæ semper in bonum fertur, adhæreamus. [*Ama, inquit Anshelmus, illud bonum, in quo est omne bonum, & sufficit tibi*] A Deo quicquid rationem boni habet nanciscimur: Jac. I. 17. Ingratissimi proinde essemus, si pro bono malum retribuere. Imitandus potiùs est, in bonitate & sanctitate [Lev. XI. 44. 45. XIX. 2 I. Pet. I. 16.]

XVI. Deus est graciosus & misericors, usque adeo, ut emerâ misericordiâ *ne Filio quidem pepererit, sed eum pro nobis tradiderit* Rom. II. 3. 2. Quicquid igitur in nobis est, ex lege gratitudinis eidem impendamus. Specialiter ejus exemplo misericordiam proximo exhibeamus. Luc. VI. 36.

XVII. Deus est justus: Metuendus ergo, ne iram ejusdem peccatis nostris provocemus. Esa. XX. 5. Mal. I. 6. [Lactant. L. I. C. I. *Malis quantò seriùs, tanto vehementiùs Deus omnipotens mercedem sceleris exsolvit. Quia ut est ergo suos indulgentissimus pater; sic adversus impios rectissimus judex.*]

XVIII. Deus est omniscius. Hebr. IV. 13. Coram eo igitur peccator non manet occultus Job. XXXIV. 21. 22. [Pietas nostra sit sincera; quoniam Deus per hypocrisin decipi nequit. Psal. CXXXIX. 23. seq. Sir I. 32. [Thales interrogatus, an facta hominum Deum laterent? respondit: *ne cogitata quidem, ut non solùm manus, sed & mentes puras habere vellemus,* ap. Valer. Max. L. 7. c. 7.]

XIX. Deus est summè sapiens [imo *solus verè sapiens* I. Tim. I. 17.] Proinde obsequamurei, etiam in illis, quæ rationis nostræ judicio adversantur [2. Cor. X. 5.]

XX. Deus in agendo est liberrimus [Ps. CXXXV. 6. Esa. XLVI. 10. Dan. IV. 31.] Nostra autem libertas in servitute Dei consistit, quâ à servitute peccati liberamur Rom. VI. 18. 2. Cor. III. 17. [Ambrosius L. 10. Ep. 84. ad Demetriad.

Tom.

Tom. 3. *Omniùm visibilium & invisibilium creatori appropinquare, clarescere est: quem timere gaudere est; cui servire regnare est.*]

XXI. Deus est verax [Num. XXIII. 19. Mal. III. 6. Rom. III. 4. Hebr. VI. 18.] Servabit ergo promissa apud pios & minas apud impios. Quo ipso ad pietatem allicimur & ab impietate deterremur.

XXII. Attributa orta sunt Perfectio, Majestas & Beatitudo.

XXIII. Deus in se ipso perfectus est, ita ut nihil comparativæ perfectionis in creaturis sit, quæ non in Deo reperiatur. Tametsi autem in hac vitâ apud nos omnia imperfecta sint I. Cor. XIII. 9. danda tamen est opera, ut ad perfectionem in pietatis studio, propter Deum, cui assimilari jubemur, contendamus. Matth. V. 48. [*Deus summa perfectionis regula, legum omnium lex, omnium normarum norma.*]

XXIV. Dei summa est Majestas. Proinde nihil ei præferamus: Eum non verbis solùm, sed etiam factis confiteamur, super omnia diligamus & timeamus.

XXV. Deus est beatissimus, nullius indigens & secum ipso contentus. [Job. XXII. 2. Es. XL. 13. I. Tim. VI. 15. Unde *El Schaddai* vocatur Gen. XVII. 1. juxta R. Salomonem à *Dai Sufficientia* q. d. sibi ipsi sufficientem] Proinde beatitudinem apud ipsum per fidem quæramus; cujusmodi fidei fructus sunt preces & obedientia.

XXVI. Hæc de attributis Dei communiter dicta sint. Posthac speciatim ex illis prolixiori filo Bonitatem, Justitiam & Majestatem persequemur.

## SECTIO II. CAPUT. I. DE BONITATE DEI.

I. Deus in Germanicâ linguâ nomen à bono habet [Gott quasi Gut. Vid. Catech. Major in libro Concord. p. 409.] Solus enim

B

enim

enim est bonus ( 1 ) essentialiter Matth. XIX, 17. Marc. X. 18. Luc. XII. 19. ( 2 ) independenter, ita ut omnis creaturarum bonitas, in essendo, permanendo & operando, ab eo dependeat. Jac. I. 17. ( 3 ) immutabiliter. 1. Joh. I. 5. Deut. XXXII. 4.

II. Hæc consideratio nos impellit ( 1 ) ad summum illud bonum amandum. Si enim creaturas amamus, propter guttulam boni, quod in ipsis reperitur; quanto majori amore dignum est mare inexhaustum omnis boni Ps. XXXIV. 9. ( 2 ) ad malum culpæ vitandum, utpote quo summum istud bonum probro afficitur, offenditur, atque à nobis avertitur. Es. LIX. 2. Cui è contrario per conversionem à malo magis magisque appropinquamus. Jac. IV. 8. ( 3 ) ad bonum sectandum, ut exemplo summi boni conformemur [ Lev. XIX. 2. ] aliosque ad imitationem provocemus [ Matth. V. 16. ] Quin imo non verbis solum, sed etiam operibus Deum optimum laudemus. [ Ps. CIII. 22. ]

## CAPUT. II.

## DE BENEFICIIS DEI IN GENERE.

I. Cum omne bonum sui diffusivum & communicativum sit, non potest non etiam Deus, tanquam summum bonum, per beneficentiam se ad creaturas diffundere atque his communicare: de quo & promissiones & promissionum impletio, per beneficia nobis actu collata, testantur [ Ennod. L. 3. Ep. 12. *Largus cælestium munerum unda procurrit: transeunt haurientis ambitum, quæ à Christo veniunt fluentia donorum. Sola vena est quæ maciem nescit & defectum abjurat, tantum cursibus suis suggerens, quantum meretur pectus sitientis accipere.* ]

II. Beneficia distinguuntur in universalialia seu communia & particularia seu propria. Illa Deus hominibus promiscuè omnibus [ Matth. V. 45. ] hæc autem solis credentibus [ Joh.

XIV.

XIV. 17. ] exhibet [ Bernh. de Dilig. Deo: *Ego Deum meum teneo, vita mea non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem; sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, disatorem, glorificatorem.* ]

III. Cave tamen beneficia quædam putes idè particularia dici, quòd Deus ex absoluto reprobationis decreto quosdam, imò maximam generis humani portionem à participatione eorum excluderet. 1. Tim. II. 4. aut quòd nonnullis, sine eorum culpâ, ex simplici beneplacito manum benefactricem occluderet [ Ps. CXLV. 9. ] vel etiam, quòd ulli antehac justè excluso, post seriam conversionem, aditum ad communionem & fruitionem horundem beneficiorum neget, [ Jer. III. 12. ] Verùm beneficia non nisi ex eo particularia fiunt ac dicuntur, quia & quamdiu multi homines, per propriam culpam, semet ipsos participatione cælestium bonorum defraudant [ Matth. XXIII. 37. ]

IV. Tametsi verò utriusque generis beneficia, quæ Deus in homines confert, innumera sint, quodamodò tamen juxta tres Symboli Apostolici Articulos, in tres classes dispesci queunt, nempe in beneficia pertinentia ad articulum de creatione, de redemptione & de sanctificatione.

V. Beneficia ad articulum creationis pertinentia, omnibus hominibus communia sunt; cum Deus hominum sine exceptione omnium creator sit. Mal. II. 10.

VI. Beneficia redemptionis bifariam spectantur, ratione acquisitionis per Christum & ratione applicationis à parte hominum. Priori modo pariter omnibus communia sunt [ Luc. II. 20. XIX. 10. ] Posteriori modo, propter illos, qui per fidem apprehendere nolunt, paucis particularia fiunt. [ 1. Tim. IV. 10. ]

VII. Non alia ratio est Beneficiorum sanctificationis, quæ

B 2

itidem

itidem dupliciter considerantur, ratione oblationis, seu à parte Dei; & ratione actualis collationis, seu à parte hominum. Priori respectu omnibus communia sunt: cum Evangelium omnibus annunciari debeat. Matth. XXII. 19. Marc. XVI. 15. per quod etiam Deus in cordibus omnium, nisi operationi Spiritus S. malitiosè resistatur, fidem accendere eamq; efficacem reddere vult. [Rom. X. 17. 18.] Posteriori respectu, particularia evadunt, infidelibus per malitiam ad sanctificationem non pervenientibus [Act. VII. 51. XIII. 46. Luc. VII. 30.]

II. *Omnia Dei beneficia sunt vera pietatis incentiva*: utpote per quæ Deus ut amator hominum, homines ad reciprocum sui amorem pertrahere conatur. Jer. XXXI. 3. Idcirco semet sponso comparat, animam nostram veluti sponsam ambientis & super eam gaudentis Es. LXII. 5. Hof. III. 1. [Lactant. I. de Irâ c. 23. *Debemus Deum omnes amare, quod Pater est: vereri, quod Dominus: honorificare, quod beneficus: & metueri, quod severus.*]

### CAPUT III. DE BENEFICIIS DEI AD ARTICULUM CREATIONIS SPECTANTIBUS.

I. Articulus de Creatione duo beneficia complectitur, nimirum hominis productionem ac conservationem.

II. Ad productionem pertinet (1) corporis in utero formatio Job. X. 8. seqq. Ps. CXXXIX. 13. seq. (2) animæ rationalis per quam à brutis, plantis & creaturis inanimatis secernimur, collatio Eccl. XII. 7. Act. XVII. 25. Sap. II. 9. (3) membrorum perfectorum instructio, ne cæci, surdi, claudi, muti, gibbosi &c. essemus. [Exod. IV. 11. Prov. XX. 12.] (4) ex utero, veluti ex tenebricoso carcere, in lucem educitio Psalm. XXII. 10. 11. LXXI. 6. [Aug. Soliloqu. c. 9. *Potuit manus tua,*  
Domt-

*Domine, me lapidem, vel avem, vel serpentem, vel belluam aliquam creare, & servit; sed noluit, propter suam bonitatem.*]

III. Ad conservationem pertinet (1) vitæ continuatio Job. X. 12. Act. XVII. 28. Col. I. 17. Es. XLVI. 3. (2) necessariorum, ad vitam continuandam, suppeditatio. Matth. VI. 26. 30. Act. XIV. 17. I. Tim. VI. 17. (3) à malis præservatio, aut liberatio, quam Deus vel immediatè impertit [Exod. XIV. 24. seq.] vel mediantibus Angelis Gen. XXXII. 1, 2. Ps. XXXIV. 8. XCI. 11. 12. aut hominibus, præsertim Magistratu. Rom. XIII. 4. 6. [August. L. 3. Conf. c. 11. *Deus sic curat unumquemq; nostrum, tanquam solum curet & sic omnes, tanquam singulos.*]

IV. Beneficia hæc nos ad Pietatem incitant: Ideo enim Deus nos produxit & hætenus conservavit, ut (quæ explicati-  
onis Catechetice super Artic. I. Symb. Apostolici p. 370. verba sunt) *pro his omnibus, illi gratias agamus, pleno ore laudem tribuamus, inserviamus, obsequamur.* Hinc Deus postquam primum hominem creasset, eidem in ipso etiam innocentie statu, legem de vitando arboris vitæ fructu tulit, ut in obedientiam exerceretur. Gen. II. 15. 16. 17. Nobis quid, sub respectu ad creationem, dictum sit post lapsum, vid. Ps. C. 2. 3. Malach. II. 10. coll. I. 6. Act. XVII. 26. 27. Imago inanimata, si posset, artificem suum agnosceret & prædicaret: Homini igitur vitio quàm maximè vertendum, si cum possit, idem non faciat Deo opifici suo Es. I. 3. 4. Rom. I. 20. seq. In Deo vivimus naturaliter, ut participes fieri studeamus *vite spiritualis*, quæ pariter ex Deo est. Eph. IV. 18. [Basil. Seleuc. Serm. I. *Deus cum res creatas per modum scale adaptaverit, per eas suis amantibus ascensum ad se exstruxit.* Basil. M. in Hexaem. *Deus fecit mundum ut bonus utilem: ut sapiens pulcherrimum: ut potens maximum. Si hac didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum cognoscemus, Conditorem adorabimus, Domino serviemus, Patrem glorificabimus, Nutritum diligemus, Benefactorem verebimur, Autorem presentis & futura vite colere*



*colere nunquam desinemus. Add. pulcherrima parænesis ex Bernh. Serm. 14. in Psalm. ]*

CAPUT IV.  
DE BENEFICIIS DEI AD ARTICU-  
LUM REDEMPTIONIS SPECTANTIBUS.

I. Articulus de Redemptione similiter duo beneficia comprehendit, nimirum malorum remotionem & bonorum reparationem.

II. Ad malorum remotionem spectat, quod Filius Dei Jesus Christus (1) à peccatis nos purgavit Hebr. I. 3. Apoc. I 5. Add. Es. LIII 5. seq. Joh. I. 29. 1. Petr. II. 24. (2) iram divinam extinxit: Remoto enim peccato, Numen desinit irasci. 1. Theff. I. 10. Es. LXIII. 3. coll. Apoc. XIX. 15. (3) maledictionem legis abolevit: Cessante enim peccato & irâ Dei, non nocet legis sententia Gal. III 13. (4) Chirographum nobis adversum delevit: Ubi enim nec peccatum, nec ira Dei, nec maledictio legis quicquam amplius valet, ibi nec conscientia, quâ veluti chirographo convincebatur, nos amplius accusat. Col. II. 13. 14. (5) regnum Satanæ destruxit: Peccato enim & irâ Dei ac maledictione legis, cum chirographo conscientiæ sublatis, Satanæ quoque regnum evertitur. Col. I. 13. II. 15. 1. Joh. III 8. Hebr. II. 14. Gen. III. 15. (6) à morte æternâ nos liberavit, quam propter peccata, iram Dei, maledictionem legis, chirographum conscientiæ, regnumque Satanæ nobis attraxeramus Hof. XIII. 14. coll. 1. Cor. XV. 54. seq. [ Ambros. L. 3. de Virgin. *Omnia Christus est nobis: Si vulnus curare desideras, medicus est: si febris astuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est, si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* ]

III. Bo-

III. Bonorum reparatio in eo consistit, quod benignissimus Salvator (1) justitiam perfectam nobis adduxit, in locum peccati sublatis Rom. V. 9. Dan. IX. 24. (2) cum Deo nos reconciliavit, antehac irato Rom. V. 10. 2. Cor. V. 19. Col. I. 20. (3) benedictionem restituit, pro maledictione legali Gal. III. 13. 14. Gen. XXII. 18. col. Act. III. 25. & Gal. III 16. (4) conscientiam tranquillavit, deleto hujusdem chirographo Rom. V. 1. [ quæ per opera nostra tranquillari nullatenus potest. Apol. Aug. Conf. p. 63, 75. 87. 93. 98. 99. 100. 128. 140. 141. seq. Vid. Synops. Art. 22. qu. 7. ] (5) Spiritum Sanctum donavit, cujus sub regno Satanæ, capaces non eramus. Joh. XVI. 7. coll. XIV. 17. (6) vitam æternam reparavit, subactâ morte æternâ. 2. Tim. I. 10. 1. Joh. V. 11. [ Bernh. Serm. de Miseriâ humanâ: *Quatunq; bona cupis, quodcunq; pulchrum quæris, quodcunq; dulce & delectabile requiris, tantum in Christo invenies & in ipso perfrueris. Si gaudere vis, ipse palma est; si vincere cupis, ipse victoria est. &c.* ]

IV. [ Quarè nobis hæc omnia Christus conciliarit, explicatio articuli, 2. in Symb. Apostol. pandit, his verbis p. 37 I. *Credo, quod Christus sit Dominus meus, qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Satanæ liberavit: non quidem auro & argento, sed suo sancto & pretioso sanguine, suaq; innocente passione ac morte, ut ego essem totus ipseus, & in regno ejus sub ipso viverem, ac ei servirem in perpetuâ justitiâ, innocentia, & beatitudine; perinde ac ipse à morte surrexit, vivit & regnat in æternum.* ] Idcirco Evangelium de his beneficiis vocatur *mysterium pietatis*: quia nos ad veram pietatem ducit. Conf. Luc. I. 68. coll. 74. 75. Rom. V. 20. coll. VI. 1. 2. item II. X. 1. XII. 1. 2. 2. Cor. V. 15. Gal. I. 4. Col. I. 22. 23. Tit. II. 11. seq. 1. Petr. I. 17. 18. 19. II. 24.

V. Argumenta, propter beneficia hæc, pietatem nobis incul-

inculcantia, petuntur, (1) ab iræ divinæ severitate, quæ ex opere redemptionis reluctet. Pepercisset Deus Filio, si ira Dei aliter, quam per Filii mortem placari potuisset. Rom. II. 3. 2. Es. LIII. 6. 10. Vitemus igitur peccatum, ne eandem iram adversus nos denuò concitemus. Ps. II. 12. Si enim Deus Filio innocenti non pepercit, qui servis contumacibus parceret? (2) à peccati foeditate, quæ aliter, quàm purissimo Christi sanguine elui nequibat. Hujus typus fuit sacrificiorum in V. T. sanguis, per se ad eluendum insufficiens. Hebr. IX. 14. 1. Joh. I. 7. Apoc. I. 5. Mundati igitur, sordes ejusmodi odio habemus, nec ultrò nos iis immergamus, Judæ v. 23. Cant. V. 3. Quemadmodum à morbo corporali liberatus sibi imposterum ab eo cavet; Joh. V. 14. ita longè magis liberatus à morbo spirituali, sibi à morbo spirituali cavere debet. (3) à poenarum gravitate, quæ peccatis dictatur, Christoque sudorem sanguineum extorsit Luc. XXII. 44. Ne itaque, quæ Christo tantum laboris imposuerunt, amemus eumque adeo novis quasi laboribus involvamus. Hebr. VI. 6. X. 29. (4) à dilectionis divinæ immensitate Joh. III. 16. XV. 13. Rom. V. 8. II. 3. 2. Gal. II. 20. Eph. V. 2. Apoc. I. 5. Incalescat ergo cor nostrum erga Deum, qui prior nos dilexit. 1. Joh. IV. 19. abstineat à peccatis, odium in Deum prodentibus [Joh. XV. 23.]. Ad amas hircino sanguine emolliri perhibetur; Emolliatur lapideum cor nostrum sanguine Christi, quem ut amator pro nobis effudit. (5) à lytri pro nobis soluti pretiositate [1. Cor. VI. 20. VII. 23.]. Diligeremus eum, qui nos auro argenteove liberaret: Magis igitur Christum diligamus, cujus sanguine redempti sumus. 1. Petr. I. 18. 19. coll. 15. Nec diligamus tantum verbis, sed & opere ipso [1. Joh. III. 18.] (6) à gratuitâ Redemptoris liberalitate. Neque enim redemptionem promeriti sumus, utpote hostes Redemptoris. Rom. V. 8. sed ex merâ gratiâ

tiâ ipse eam nobis impertit. quòd si itaque debitor erga creditorem, debita quantulacunque ipsi remittentem, gratus esset; nobis longè magis incumbit, operam dare gratitudini, quibus debita insolubilia à Christo remissa sunt. Matth. XIX. 24. 27. coll. Luc. VII. 47. (7) à redemptionis proprietate, quâ vincula Diaboli evasimus: Libenter Principi Christiano serviret, qui ab hoc servitute Turcarum eximeretur. Proinde multò libentiùs Christo serviamus, cujus beneficio è potestate Diaboli eluctati sumus. 2. Cor. V. 15. (8) à mortis Christi efficacia, per quam peccata in nobis interire & vetus homo mortificari debet Rom. VI. 6. Idcirco injustum foret, si peccatum & veterem hominem in nobis vivere sineremus. Ib. 12, (9) à veræ fidei proprietate, quæ per charitatem indicat vitam & veritatem suam Jac. II. 18. 20. Gal. V. 6. Per hanc fidem Christus in nobis habitat. Eph. III. 17. Ubi autem Christus adeoque & Spiritus ejus, nunquam ab ipso divulsus, est, ibi hominem ad bona opera impellit. Rom. II. 14. E contrario qui bonis operibus non studet, ille nec fidem, nec Christum habere dignoscitur [Chrysoft. Homil. 8. in 1. ad Corinth. *Christus est caput, nos autem corpus. Inter caput & corpus non potest esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos edificium: ipse est vitis, nos palmites: ipse est sponsus, nos sponsa: ipse est Pastor, nos oves: ipse est via, nos qui ingredimur. Nos rursum templa sumus; ipse est qui inhabitat &c. Hæc omnia indicant unitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parum abscesserit, multum etiam procedens abscedet.* Bernh. Serm. de Miseriâ humanâ: *Ubiq; fueris sine Christo, malè eris & malè tibi erit. Subjice itaq; te totum ei, qui totum fecit, à quo omnia habes. Servi semper ei, qui non sinit te cadere in omnia peccata: non permittit, ut inferas tibi omnia mala ac damna.*]

CAPUT V.  
DE IIS, QUÆ CHRISTUS PRO NO-  
BIS FECIT ET PASSUS EST.

I. Ut ed fortius ad pietatem accendamus, expendamus, quæ Christus ut nos redimeret, & salvaret, fecit ac sustinuit, nimirum illius Incarnationem, Nativitatem, Circumcisionem, Baptismum, Doctrinam, Passionem, Crucifixionem, Mortem, Sepulturam, Descensum ad inferos, Resurrectionem, ad cælos Ascensionem, ad dextram Dei Sessionem, & Reditum ad iudicium. [Cyprian. Serm. 6. de Orat. Dom. *Christo nihil omnino praponere debemus; quia, nec nobis ille quicquam prapofuit.*]

II. Incarnatus est Christus, ut in filios Dei adoptaremur Joh. I. 12. divinæque naturæ participes redderemur. 2. Pet. I. 4. Tanquam filii igitur Patrem obsequiosè honoremus [Mal. I. 6.] tanquam divinæ naturæ participes, divinam vitam agamus. Gen. V. 22. Divina Christi natura humanæ personaliter unita est, ut anima nostra Deo spiritualiter uniatur. Hæc unio nostra cum Deo per peccatum solvitur Es. LIX. 2. [Chrysolog. Serm. 19. *Quod est anima corpori, hoc est anima Christus. Sine animâ corpus non vivit: non vivit anima sine Christo. Recedente animâ mox corpori fætor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror & omnia visu desestanda succedunt. Descendente Christo confestim venit in animum peccatorum fætor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientia vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror.*]

III. Natus est Christus ex virgine, ut per illum ex Deo nasceremur. Joh. I. 13. Christusque [non per nativitatem propriè sic dictam, sed primò per fidem, consequenter verò etiam per imitationem vitæ ac virtutum, quâ imago ejus animæ im- pri-

primenda est] in nobis (*μορφωτή*) figuretur Gal. IV. 19. [*μορφῆ* enim figuram significat Dan. V. 9. & imaginem Esa. XLIV. 13.] Quamdiu in regenerationis statu permanemus, non possumus non pietati operam navare. 1. Joh. V. 4. [Basil. M. in Summâ Moral. c. 21. *Quid est proprium generati ex Spiritu? Ut fiat illud, pro datâ mensurâ, quod est illud, ex quo natus est. Quid est proprium ex supernis nati? Exuere veterem hominem, cum actibus suis ac concupiscentiis & induere novum, qui renovatur ad agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit ipsum.* Leo Serm. 2. in Nativ. Dom. c. 5. *Per incarnationem: Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris autorem; recognoscas parentem: liber efficiaris ex servo: de extraneo proveharis in filium: ut qui ex corruptibili carne es, ex Spiritu Dei renascaris & obtineas per gratiam, que non habebas per naturam.*]

IV. Circumcisus est Christus, ut spiritualem circumcissionem per ipsum nancisceremur Col. II. 11. Circumcisio hæc carnis peccaminosæ facit, ne eadem caro in nobis regnet, sed ut indies magis magisque mortificetur [Bernh. Serm. de Circumcis. *Quid mirum, si pro nobis voluit circumcidi, qui pro nobis voluit mori? Nobis natus, nobis mortuus, nobis etiam circumcisus est.*]

V. Baptizatus est Christus, ut capita Draconum in aquâ contereret, peccatum obrueret ac totum veterem Adamum in aquâ sepeliret. Nazianz Orat. 39. in Sacr. Lum. & Damascenus L. 4. Orth. Fid. c. 10. Non itaque veteri Adamo imperium restituamus [Chrylost. in c. 3. Matth. *Nunquam aqua Baptismi peccata credentium purgare potuisset, nisi tactu Dominici corporis fuisset sanctificata.*]

VI. Docuit Christus inter alia imitationem sui Matth. XVI. 24. Joh. XII. 25. Hanc discamus ab ipso Matth. XI. 29. ut ille nobis non solum *veritas* sit, quam credamus; sed etiam

*via*, quam in totâ nostrâ vitâ teramus. Joh. XIV. 6. Qui discit, quæ credenda sunt, discat etiam quæ facienda sint. Joh. XIII. 17. XIV. 15. XV. 10. [Hilar. l. 7. de Trinit. *Quoniam Christus est nostra via, in erraticas vias non ducet: quia est nostra veritas, non illudet per falsa: quia est nostra vita, non relinquet nos in morte.*]

VII. Passus est Christus pro peccatis nostris, ut ea abominemur: Patiendo *ὑπογραμμὸν* (quale Calligraphus discipulo suo proponere solet) quod per charitatem, patientiam & mansuetudinem imitemur, reliquit 1. Petr. II. 21. [Salvianus l. 4. de Gubernatione Dei: *Quia majus (pro passione Christi) referre non possumus, totum reddere videmur, si totum quod possumus reddere curamus, hoc est amorem.*]

IX. Crucifixus est Christus, ut vetus noster homo cum ipso crucifigatur. Rom. VI. 6. Gal. II. 19. V. 24. atque ut mundus nobis crucifigatur & nos mundo. Ib. VI. 14. Quod vetus homo svadet & mundus amat, Christiano crux sit, nec quicquam ab eo curetur. [Prudent. Hymn. ante Somnum:

*Crux pellit omne crimen:*

*Fugiant crucem tenebrae;*

*Tali dicata signo*

*Mens fluctuare nescit.]*

IX. Mortuus est Christus, ut nos peccatis moreremur, atque in novâ vitâ ei serviremus Rom. VI. 2. seqq. 2. Cor. V. 15 [Bernh. Epist. 143. *Seculo vivere, mors est: In Christo etiam mori, vita.*]

X. Sepultus est Christus, ut vetus homo cum ipso virtute Spiritûs sepeliretur. Rom. VI. 4. quies Christi in sepulchro nos spiritualis Sabbathi ab operibus carnis admonet Es. I. 16. Cum Christo sepulta sunt peccata nostra: non igitur ea refodiamus sepulchrumque Christi violemus. [Christus novo sepulchro condi voluit, qui novum pectus inhabitare desiderat.]

XI.

XI. Descendit ad inferos Christus, ut Diaboli regnum everteret, Satanamq; captivaret. Ps. LXIIX. 19. coll. Eph. IX. 8. Item Col. II. 15. Pudendum igitur, si quis per regnantia peccata regnum Satanæ restauret & captivo Christi, deserto victore, ultrò serviat.

XII. Resurrexit Christus, ut nos spiritualiter à peccato resurgeremus. Rom. VI. 4. 5. Postquam verò resurreximus, vivamus per Christum. Ib. v. 11. imo Christus vivat in nobis. Gal. II. 20. In quo Christus non vivit, ille cum militibus Pilati, resurrectionem Christi operibus suis negat. Matth. XXII. 15. [August. L. 2. de Trin. c. 17. *Quod pracesit in capite, sequetur in membris: Sequatur itaque & spiritualiter.*]

XIII. Ascendit ad cœlos Christus, ut corde nostro & desiderio cœlestium, sequamur, atque in cœlestibus versemur. Col. III. 1. 2. Phil. III. 20. Christus animæ nostræ thesaurus, in cœlo est: In cœlo etiam sit, cor nostrum. Matth. VI. 21. [August. Serm. 176. de Temp. *Ascendamus cum Christo corde, donec sequamur & corpore.*]

XIV. Ad dextram Dei sedet Christus, *minister factus tabernaculi cœlestis.* Hebr. IX. 2. ut & nos terrena contemnamus, cœlestibus addicti. Eph. II. 5. 6. Phil. III. 19. 20. nec mundo [in iis, quæ à Deo prohibita sunt] assimilemur. Rom. XII. 2. [Vid. Wigandiana de Mortificatione, Excerpt. 1. n. 2. p. 68. August. Serm. 15. de Verbis Apostoli: *Minus est offendere Christum in cruce pendentem, quàm in cœlo sedentem.*]

XV. Ad iudicium redibit Christus: Idcirco piè ei occurrere debemus Luc. XXI. 36. 2. Petr. III. 11. 12. tanquam sponso nostro. Apoc. XXII. 17. 20. [Gregor. M. Homil. 26. in Evang. *Hunc tanti pavoris iudicem ante oculos ponite: hunc venturum timete; ut hunc, cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur.*]

C 3

XVI.

XVI. Actus Christi, de quibus haecenus dictum est, omnino omnes primario nobis profunt ut meritum; secundario demum ut exemplum. Hinc finis eorum primarius fuit nostra redemptio; secundarius autem, qui nunc spectatus est, ejus imitatio. Joh. XIII. 15. 1. Petr. II. 21. Ratione meriti induimus Christum per fidem Gal. III. 26. 27. ratione exempli, per imitationem, ut fidei consequens. Rom. XIII. 12. 13. 14. Ibi Christum attendimus ut Sacerdotem, qui pro nobis satisfecit. Eph. V. 2. hic ut Prophetam, qui viam Dei nobis verbo & exemplo monstravit. Matth. XXII. 16. [Bernh. Serm. 2. de Ascens. *Christus est via merito & exemplo: veritas in promisso: vita in premio.* Idem Serm. ad Milit. templi c. 11. *Vita Christi vivendi mihi regula extitit; mors à morte redemptio: Illa vitam instruxit; mortem ista destruxit: Vita quidem laboriosa; sed mors pretiosa: Ultraque vero admodum necessaria* Petrus Chrysolog. Serm. 151. *Christus venerat, ut quos praeceptis docuerat, firmaret exemplis & ipse faceret qua facienda mandaverat & visu probaret possibilia, qua impossibilia videbantur auditu.* Leo Sermon. 5. de Nativ. Dei: *Frustrà appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi, qui ideò se viam dicit esse, ut conversatio Magistri, forma esset discipuli.*]

XVII. Alia ratio est exempli, quod Christus & quod alii sancti homines nobis prae buerunt. Hoc non nisi externum est, tantum monstrans quid faciendum, vel omittendum; illud verò etiam internum, quod per fidem, quâ beneficiorum redemptionis participes facti sumus & Spiritum S. accepimus, nobis etiam virtutem renovationis inchoandæ & continuandæ impertit. Act. XV. 9. 1. Cor. VI. 11. Tit. III. 5. [Quo spectat illud: *Christus viam nobis monstrat exemplo & ambulantes in eâ roborat adjutorio.*]

CA-

## CAPUT VI.

## DE BENEFICIIS DEI AD ARTICULUM SANCTIFICATIONIS SPECTANTIBUS, AC PRIMUM DE ELECTIONE.

I. Articulus de Sanctificatione duobus absolvitur, æternâ Electione & spiritualium beneficiorum in tempore factâ colatione.

II. Electionis spectabimus fontem, finem & ordinem. Fons seu principium est mera gratia in Christo, cujus intuitu ad vitam æternam electi sumus [Eph. I. 4. 5. 6.] 1. Thess. V. 9. cum Deus nos, juxta rigorem justitiæ, æquè ac angelos lapsos æternum abjicere potuisset 2. Petr. II. 4. Judæ v. 6. Hanc itaque gratiam grato & ex gratitudine pio agnoscamus & veneremur animo. 1. Cor. IV. 7. quâ Deus nos, antequam existeremus praevenit. Joh. XV. 16. [August. Serm. 16. de Verb. Apostoli: *Prædestinavit Deus antequam essemus: vocavit cum averti essemus: justificavit cum peccatores essemus; glorificavit cum mortales essemus.* Staupit. ad Luth. *Disputatio de Prædestinatione incipiat à vulneribus Christi.*]

III. Finis Electionis ultimus est vita æterna; proximus autem vita pia Eph. I. 4. II. 10. Joh. XV. 16. [Unde pietas vitæ inter signa electionis refertur.]

IV. Ordinis mentionem facimus, quia Electi ad vitam æternam ordinati esse leguntur. Act. XIII. 48. Rom. IIX. 29. Eph. I. 11. Ordo autem ille in eo consistit, quod cum Deus Filium, ut mediator esset, miserit, beneficiaq; hujusdem in Evangelio annunciari curet & fidem per media ab ipso ordinata accendere & conservare velit, omnes illos ab æterno elegerit,

rit,

rit, quos finaliter in Christum credituros esse prævidit 2. Theff. II. 13. Jac. II. 5. Tit. I. 1.

V. Ejusmodi fidem necessariò sequitur pietas vitæ. Gal. V. 16. Jac. II: 18. In iis enim, qui ex prævisione fidei electi sunt, duo semper reperiuntur, fides cujus intuitu electi sunt & pietas fidem necessariò sequens. 2. Tim. II. 19. Sic Electio firma redditur 2. Petr. I. 10. non quidem à parte Dei; sed tamen à parte nostri. Electos nemo ex manu Dei eripere potest. Joh. X. 28 Rom. IIX. 39. Sed inter homines (ut eos qui nunquam steterunt, fileamus) etiam qui stant, cadere possunt. Ex quo casu, nisi resurgant, signum est, quòd ad Electos non pertineant 1. Cor. X. 12. Quarè cum timore & tremore salus operanda est. Phil. II. 12. [August. de Prædest. Sanctorum: *Prædestinatio multis est causa standi: nemini est causa labendi.*] Idem in Psalm. 61. occasione parabolæ de Nuptiis Matth. XXII. 14. *Quomodò projecto uno de multis, pauci electi; nisi quia in uno illo multi? Omnes qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua querunt, non quæ Jesu Christi; ad unam illam civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mysticè & habet Regem Diabolum. Omnes autem qui ea quæ sursum sunt sapiunt, qui cælestia meditantur, qui cum sollicitudine in seculo vivunt ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, justi, p. i, b. 1, omnes ad unam civitatem pertinent, quæ Regem habet Christum. Illa incepit à Cain; hæc ab Abel. Hæc duo corpora sub duobus regibus agentia, ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi invicem usq. in finem seculi, donec fiat ex commisione separatio & alii ponantur ad dextram, alii ad sinistram.]*



Impietas, fugo conspicienda suo.  
Ex Verbo addiscas, quid distent æra lupinis;  
Sic pius, atque aliis Dux Pietatis eris.

*Hicce optimi Parentis filio, meo ex unis, quam Deum servet, Sorore, Nepoti, non solum ob sanguinis necum, sed cumprimis etiam, propter Pietatem, Fidem, ac in studio diligentiam longè charissimo, Spiritus S. gratiam, atque mi (quod dona etiam in concionando promittunt) infusi cum fructu aliquando Ecclesie inservias, precor*

SAMUEL SCHELGUIGIUS, D.

Disput. Præses.

Publica conscendis præclaræ Rostra Cathedræ,  
Jam quoque privatim trita subinde Tibi.  
Hæc ad opes animi nos ducit semita veras,  
Sic sibi formicæ farrea grana petunt.  
Fructus in Ingenio est, est in Pietate vel ille  
Maximus. Eveniat Fructus verinque Tibi.

*Præstantiss. DN. RESPONENTI, de rebus ad Ingenium & Pietatem pertinentibus, Disputanti & aliis quæcunque egregiis specimenibus notis, applaud.*

CHRISTOPH. BEHR, Eloqv. & Poet. P.P.

So fleucht/ Herr Vetter / aus dein Vogelreyer Wuth /  
Und will die Tage nicht in dem Gebauer zehlen/  
Umb ja der Ewigkeit durch Ruhm sich zu vermählen.  
Denn Gott zu Dienste stehn/ das ist seyn höchstes Gut.  
Doch weil er niedrig seyn als Zügelstaub verlacht /  
So will er nicht nur bloß das Rorhe Meer (\*) durchfliehen/  
Der Sporn berühmt zu seyn will ihn auch höher ziehen/  
Wo man durch himlisch seyn das irdische verlacht.  
Drumb sucht er Adlern gleich der Sonnen nah zu seyn/  
Und zeigt durch dieses Blat uns den bequemen Wagen/  
Auff dem die Gottesfurcht uns kan zum Himmel tragen  
Allwo Gott selbst ist der helle Sonnen-Schein.  
Und hierzu wünsch ich dir/ Herr Vetter / Glück und Ruhm;  
Gott selbst/ das Sonnen-Licht/ bestrahle dich mit Seegen/  
Vor dir wird Heuchelley Schamroth die Waffen legen/  
So Gottesfurcht nur bleib dein eingest Eigentum.

Dhn Sturm und Ungemach mit hellem Sonnen-Blicke

An ein erwünschtes Amt bald freudig landen an.  
Läßt das Verhängniß uns so bald nicht wieder sehn/  
So unterläßt mein Herz doch nicht dein zu gedencken  
Nur dieses wolstu mir mein Freund hingegen schencken:  
Laß deinen Schelwig dir in deinem Herzen sehn.

\* Respicitur ad Disputationem quam sub Praesid. Excel. Dn. Christ. Sahmii de Transitu Israelitarum per Mare Rubrum habuit. Nient gratulirte seinem werthen Herrn Vetter/ und begleitete ihn mit Anwünschung einer glücklichen Reise in sein Vaterland

Gottlieb Schelwig/ v. D.

Sonnet.

W ein gemahltes Werck die Vogel kan betriegen/  
Ein falscher Vorhang selbst den klügsten Künstler blende;  
Was wunder? das man oft die Heuchler selbst nicht kennt/  
Bey denen Gottesfurcht soll im Gesichte liegen/  
Die ohne lachen stets viel Seufftzer lassen fliegen;  
Da doch verdammte Lust in ihren Seelen brennt/  
Und Stolz und Hurerey sie liebste Kinder nenne  
Wenn sie nur über Fleisch und Blut stets wollen siegen.  
Doch liebt ein jeder nicht derselben Heucheley/  
Der/ daß die Menschenfurcht/ die Gottesfurcht nicht sey  
Wie du mein wehrter Freund aus Gründen kanst erweisen/  
Denn dieses zeigen ja die klugen Blätter an  
Wie man ehn Heucheley den Höchsten fürchten kan.  
Bleib ferner so gesinnt/ so wird dich jeder preisen.

Gabriel Benter/ Ged.

Magn. Senatus Alumn.

LEONARDUS GEBAUER

νατ' ἀναγ: :

SURGE! BEANDE LAURO.

SURGE! Et ut usq; soles, jam pulpita scande virili  
Pectore: Io lauro surge beande sacra.  
Pro Pietate loquens primus, Pietate secundus  
Nulli: quod pietas Lex tibi prima, doces.  
Perge precor vigilans pietatis surgere cultos;  
Laurus ut in caelis Te quoque clara bees.

Hac Politiss. Dn. Respondenti Contubernalis & Amico suo astumando, de edito hoc Theologico specimine gratulans, posuit

JACOBUS MATTHÆI, Ged.



XI.

EXERCITATIO ACADEMICA III.  
DE  
AUGMENTATIO-  
NE,

QUAM

in Jubilæi Academici Salani,

d. 2. Februar. & seqq. celebrati,

memoriam,

DEI & superiorum indultu,

PRESIDENTE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO

LOEBERO,

Amplissimæ Facultatis Philosoph. Adjuncto,

Publicè habendam,

exhibet

AUTOR

GEORGIUS REICHARDUS Hammer/Maria Montanus

ad d. Februarii

anni, quo

InCLVra CentenVM reCOLIt genItaLe LyCei,  
Iena (VI, IoVæ VIVaqVe Vota VoVet.

Prelo FREYSCHMIDIANO.

